



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Muri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A Hieronymi sententia est qui $\epsilon\sigma\tau\iota\ \Phi\alpha\nu\omicron\upsilon\ \mu\eta\ \delta\epsilon\epsilon\pi\epsilon\alpha\delta\epsilon$, Pythagoræ symbolum interpretatur leges non esse dilacerandas, sed in vigore & incolumitate sua conservandas. Et quoniam sepes complicatione quadam ambituque certo coronis quodammodo similes habentur, eadem ratione factum, ut in Divinis literis ipsæ quoque sepes sint legum hieroglyphicum.

HILARITAS. CAP. XXIV.

Roseam tamen & florulentam præterire nolimus, quæ quidem corona hilaritatis erat indicium: veteres siquidem convivia celebrantes, ornare se coronis consueverunt, cuius rei principium à diademate simplici fuit: ut scilicet frontem fascia constringerent, quod institutum est salubritatis causa, ut tradit Athenæus, propterea quod convivorum mos sit, sese ad bibendum liberius invitare. Neigitur vinum æquo largius sumptum molestos ad caput vapores attolleret, experimento compererunt plurimum prodesse frontem ita colligare. Posteritas vero salubri huic invento decus & ornamentum adjecit, atque ideo fascias illas floribus pervestire cœperunt, quæ res procliviter admodum in effusissimum mox luxum evagata est.

CORNUA. CAP. XXV.

Quæ vero corona Regium est gestamen, eam à cornu dictam volunt, passimque in Divinis literis & cornu. Unde Moses cornuta pingitur facie, quæ radiata esse deberet. Divini enim Solis afflata lumine, radiis quibusdam igneis promicare videbatur, quem splendorem cum Israeliticus populus ferre non posset, precibus ab eo contendit, ut velata ad eos facie loqueretur. Coronæ porro Regiæ ex instituto veteri, radiorum referunt similitudinem, ut non temere olim institutum sit eas in Apollineo c. xxi. preciosis lapillis confici, qui splendore suo fulgentes caput universum radiis illustrarent: atque, ut in Cervo rem hanc totam latius explicavimus, vetusti numi, marmoreæ abeneæque Regum statux pleræque duodecim conspicuæ radiis ostenduntur. Hinc apud Virgilium Latinus rex fœderat inter Aneam & Turnum sancturus:

*Quadrifugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis sex radii fulgentia cingunt,
Solis avi specimen.*

MURI. CAP. XXVI.

ET frequentissimus authorum usus coronam pro muris urbium usurpavit. Pindarus Alcimedonti Olympiis, $\delta\eta\ \epsilon\sigma\tau\iota\ \Phi\alpha\nu\omicron\upsilon\ \tau\omicron\upsilon\lambda\alpha\iota$, metaphorice ajunt interpretes moenia: muri enim urbium tantam coronam sunt. Hinc Anacreon:

*Νῦν δὲ δὸτὸ μῦρ πάλαι Φαυοῦ ὀλωλεν.
Nunc dissipata sunt coronæ ab oppido. Vel,
Urbis at iam iam periit corona.*

Quod vero coronas Regias non esse discernendas Pythagoram admonuisse dicebamus, sunt qui eodem argumento dictum existimant, quo ignem non esse gladio fodicandum edixit: quippe non esse ut quisquam principibus negotium faceret. Quod vero de regno dicebamus, per Cornu significari, cum id passim in Divinis literis habeatur, superfluum est iis diutius immorari, ut: *Exaltavit cornu Christi sui*, & quæ hujusmodi dicta sunt in Cervi commentario. Illud hieroglyphicum ante omnia videtur, quod apud Ezechielem Cherubim humano primum capite pingitur, eoque quatuor cornibus bubulis insigni, humeris inde alatis, & pectore leonino, qua in specie Theologi nostri, ut apud Hierosolymitanum Hesyehium legere est, insigniores virtutes quatuor, per totidem vituli cornua intelligunt. Humana quippe facies sapientiam indicat, quam Philosophi aliquot Prudentiam dixerunt, sed sublimius atque divinius quid in Sapientia nomine, Leoninam nimirum fortitudinem. Per partem eam, quæ vitulum exscribit, justitiam interpretantur, de qua nonnulla in Bovis commentario. Aquilæ species castitatem præ se fert, quæ sublimi volatu in cælum sese erigit: nam Joannes, qui omnino Aquila est, scriptorum omnium consensu intaminata fuisse castitate perhibetur. Animadvertendum tamen est in Hesyehiano codice vulgato desiderari quædam, & perperam esse positum, *In persona Leonis sapientia*, nulla de persona hominis facta mentione.

*Alit à Gra
ca voce, no
tata quam
quam erit
quædam, i
e. cornua vel
cervicem
effero.
Moses cor
nuta facie
depictus.
An. lib. 12.*

*Cherubin
in Ezechie-*